

F. K. 62
15

Zc
6145

57

R E C T O R
UNIVERSITATIS LIPSIENSIS,
AD EXUVIAS
NOBILISSIMÆ FOEMINÆ,
DOMINÆ
R O S I N Æ
ELISABETHÆ,
NATÆ HORNIÆ,
D N.

D. LÜDERI MENCKENII,
INSTITUT. JURIS PROF. PUBL. IN CU-
RIA PROVINCIALI ELECTORALI ET DUCALI
SUPREMA, ET FACULTATE JURIDICA ASSESSO-
RIS, IN COLLEGIO MIN. P. P. COLLEGIATI,
VIRI MERITISSIMI,

UXORIS CHARISSIMÆ,
HODIE XX. NOV. c. Icc. 1707.

CONVENIENTE COMITATU SEPELIENDAS
C I V E S S U O S
I N V I T A T.





Nter Socios Fructiferae Societatis in Germania nostra fuit, qui nomine viridantis sumto, Aloysii Novarini, Veronensis Itali, Clerici Regularis Meditationib⁹ centum de occultis Dei beneficiis alias quinquaginta addidit impres-
fas Cassellæ an. 1639. In earum quadragesima Malam Uxorem beneficis DEI occultis accensuit. Paradoxum hoc legentibus vi-
sum iri, ipse facile vidit, cum non tantum Sa-
lomo & Siracides mulierum malarum mores
fodissimos descriperint & vituperant, verum etiam vulgo inter poenas
DEI graves habeantur. Enim vero nihilominus ex hoc manifesto malo oc-
cultum DEI beneficium rationibus quibusdam elicuit. Maritus, quem
Uxor mala quotidianis jurgiis & molestiis vexat, cum presentibus aliis dome-
sticum malum sibi reprobrari audit, contradicens uxorem suam excusat, se-
que contentum eadem vivere ait. Quæ animi moderatio magna Gratia
Divina adscribenda est, ex qua mavult malum dissimulare, quam conjugem
suam opprobris aliorum expondere, famamque ejus, quantum potest, inte-
gram servare. Patientiam insuper dicit, qua Jobum, intemperis uxoris
sua agitatum eluxisse laudatur, dum verbis malis auditis non commovetur ad
iram, manuete portius omnia perfert. Quod si contingat, hac lenitate deter-
riorem somnam fieri, non patitur vincisse, a Deo autem hanc castigationem
immissa sibi agnoscit, ad provocandas & exercendas virtutes Christianas in
felicitate domestica perituras. Quamvis etiam hanc afflictionem, non nisi
morte finiendam prævideat, non tamen de modis elabendi aliis cogitationes
suscipit, sed divina providentia fortem suam committit, se, prout Christianum
hominem decet, semper gerit. Tandem ista crucis Schola domestica ad
humilitatem proba magistra esse potest. Nam qui verba aspera & dura domi
ferre assuetus est, cum ab aliis sibi dicta audiverit, non reddet alia, multo minus
atrociora in ira effervescent, evadetque contentiosorum hominum rixas pu-
gnas, plagas. His Vir ille in Societate Fructifera præcipue evincere studuit,
in malo domestico occultum DEI beneficium latere. Atque haec a discipli-
na Christiana, quæ ex malis bona elicere docet, aliena non sunt, sed cum ea
bene convenient. De qua sententia legi meretur Scriverius in Thesauro
Animæ Parte IV. Concione X. Quid si vero uxor improba inter beneficia-
DEI occulta aliquando esse potest, profecto uxor bona beneficium DEI mani-
festum erit. Etenim à parentibus quidem liberi accipiunt domus & opes,
ast uxorem prudentem a DEO, qui ipsum timerit, accipit, Proverb. XIX, 14. SI-
racid. XXV, 3. Quæ vero prudens Sapientibus iſtis censetur? Ea, (verbis in-
comparabilis Interpretis D. Geieri, quam nostris placet dicere) quæ recte scit
se gerere erga DEUM, in religione orthodoxa serioque pietatis exercitio de-
vote ipsum colendo; erga Maritum, obsequiose eum amando, moribus illius
se prudenter attemperando, austерitatem ejus suaviter mitigando, cœlitatem
uni illi probando &c. erga liberos familiamque, debita cum severitate &
modestia eos regendo, omnes peccandi occasiones sollicite præcavendo, mores
pravos emendando, victimum laboreisque decenter distribuendo &c. erga co-
gnatos affines ac vicinos, concordiam cum iis colendo, subveniendo, mutuan-
do &c. erga egenos, liberaliter iisdem erogando, famelicos pascendo, nudos
ve-

vestiendo, ægrotos visitando; erga rem denique familiarem, omne damnum
 amoliendo, augmentum decenter procurando, & qua reliqua mulieris pro-
 bæ recitantur requisita cap. XXXI, Proverb. Exempla talium uxorum lau-
 datissimus Geierus subjunxit Monicam Augustini matrem, Abigaelem, Sa-
 ram Tobiae. Et nostris temporibus DÆUS se timenribus Viris dat uxores,
 quæ antiquarū illarum virtutes ex omni parte studiose conseuantur. Inter
 quas in hac urbe Theodoras & Dorotheas spectata est, dum vivérer, Nobilis-
 simæ Domina Rosina Elisabetha, Nobilissimi, Consultissimi, Excellentissimi,
 Dn. D. Lüderi Menckenii, Institutionum Profess. Publ. in Curia Provinciali
 Electorali & Ducali Suprema & Juridica Facultate Assessoris, in Collegio Mi-
 nore Principum Collegiari, uxor suavissima. Is igitur morte sibi ablatam,
 valde quidem dolet, attamen cum magno Viro sit DEI reverentia, in ejus vo-
 luntate acquiescit, eidemque, quod dedit, submissa mente repetitum donum
 reddit, quod tamdiu usum dulcissimum concesserit, gratias devotissimas agit,
 & relinquit aßervandum ad Angelicam in vita immortali secum confociatio-
 nem & communitatem. Nos vitam Conjugis prudentis ita recensebimus,
 ut vidui mœorem minuamus, liberorum spem & fiduciam in DEI gratiam
 & auxilium ex pietate matris corroboremus, aliis sanctæ fœminæ exemplar
 proponamus. Nata est hac in ipsa Urbe Lipsia, an. C. cl. Ioc. LIX. d. VIII.
 Augusti parentibus honoratis imprimis, & tam bonitate generis, quam lau-
 dé virtutis celebribus. Genitorem enim habuit D. Michaëlem Heinricum
 Hornium, in Golitz, Mœckern & Groslehn, Pathologiæ Professorem Publ.
 Ordinarium & Chymie Extraordinarium, Academiæ Decem-Virum, Majoris
 Principum Collegii Collegiatum, Matrem Rosinam Burchardiam. Avum
 autem paternum Johannem Hornium, Pastorem & Seniorem Sacri Mini-
 sterii Heringe, Aviam Magdalenan, Henrico Krobomio Consule Francken-
 husano natam; Avum maternum Mauritium Burchardum Theol. Docto-
 rem, P.P. & Archidiac. in Templo Thomano, Aviam Catharinam Cornelii
 Eeckeri, Theolog. Doctoris, Prof. Publ. & Pastoris in æde S. Nicolai filiam
 sortitus est. Matrem puella decim dierum mors abstulit, non divinam pro-
 videntiam: ex qua Nobilissima Matrona, Elisabetha, D. Finckelthuſii, Con-
 fulis quondam in hac civitate, magna autoritatis, vidua ad se recepit orpha-
 nam, educationis curam habuit, & affectum, quo Matrem ipsius quatuorde-
 cim annis secum viventem complexa fuerat, filia & patri in testamento libe-
 raliter demonstravit. Cum autem Pater secundis nuptiis sibi adjunxisset
 Mariam, natam Schacheriam, Georgii Philippi Pöckelii, Senatoris in hac ur-
 be viduam, puella in ædes paternas reversa, in pietate Christiana & domesti-
 ca disciplina diligenter informata fuit. Florentem ergo virtutibus sexum
 hunc ornantibus Virginem Daniel Griebnerus, Theol. Licent. & Verbi Divini
 Minister in Templo S. Nicolai legitime ambivit, & consentientibus Parenti-
 bus d. IV. Decembr. anno cl. Ioc. LXXVII. nuptiis habitis domum duxit.
 Ex quo coniugio omnibus modis placido nati sunt quinque liberi; Sophia,
 Elisabetha, altera filia, & Henricus Sigismundus, primus filiorum, vitam cum
 morte iamdudum commutarunt. Rosina Dorothea maternarum virtutum
 imago, Michael Heinricus, Juris Utr. Doctor, Professor Publicus Institu-
 tionum Juris, Dicasterii provincialis Supremi, & Juridica Facultatis Assessor Wit-
 teberga, & Johann Sigismundus, Philosoph. Magister, & Concionator Sab-
 bathicus in Templo Thomano superstites, mari charissimæ mōrentes ad-

2c 614 57A X 3439699
1018

modum exequias eunt: Postquam DEUS maritum ex hac mortalitate avocasset, completo luctus tempore, nupsit an. clo loc LXXXVI. d. XXX. Maji Nobilissimo D. Menckenio, nunc Viduo; cum eo annos quasi vinti & unum, in maxima animorum conjunctione vivens, liberorum numerum fœcunda mater auxit; pariens filium Henricum Ottонem an. 1690. & tres filias, Johannam Catharinam an. 1691. Margaretam Christianam an. 1696. Mariam Sophiam an. 1697. Primam in beata eternitate nuper invenit. Privignum quoque, Gottfriedum Ludovicum Menckenium, non aliter ac filios suos charum habuit, nuperrimeque cum singulari lætitia, summis in Jure honoribus ornato congratulata, futuris ejus conatibus felicissima & optima quæque comprecabatur. Vitæ rationem summatis comprehendimus, prudentem uxorem fuisse dicentes, ejusque descriptionem integrum supra traditam intrepide applicantes, atque ad suffragia non solum mariti, liberorum & domesticorum reliquorum, verum etiam aliorum quamplurimorum in hac civitate provocantes. Eas omnes virtutes complevit vita bona clausula. Die VI. Octobr. pie defunctam inopinata frigus magnum invasit per duas horas continuum: et si vero calor & æstus, qualis in febribus observatur, non sequebatur, attamen post sumta medicamenta solventia, sequente die, rubor in facie apparuit, erysipelati similis, quo nonnunquam infestabatur. Adversus quod tertio die morbi per integrum caput se diffundens adhibita fuere remedia præstantissima; neque ulla cura operave omissa, qua ad juvandam ægrotam facere posset. Hinc quia die quinto inflammatio in capite plene eruperat, quieta aliquamdiu jacuit, donec die sexto inquietus rediret cum blando aliquo delirio. Ex quo purpura in corpore latere haut vana fuit conjectura: nam statim noctu emicuit. Porro data medicamenta expellentia & bezoardica lenem continuumque sudorem expulerunt, qui spem aliquam sanitatis fecit. Sed die octavo hora IX. antemeridiana insultus apoplecticus purpuram susflaminavit, & retrocedere fecit. In redeunte ad se signa mortis imminentis certa observabantur. Qua de causa advocatus, ipsa desiderante, Pater Confessionarius, in mentem ei revocavit eucharistia, quam ante dies quatuordecim ex ipsius manu accepit, fructum & efficiaciam contra mortis terrores, confirmans ex verbo DEI fidem fœminæ de gratia DEI, & vita æternam ox obtinenda. Dicta hac ab illo, & deinde ab adstantibus repetita, voce debili, mente certa & confirmata simul proloquens confessionem & fidem suam testabatur. Inter quæ d. XIV. hoc mené Nov. inter horam XI. & XII. meridianam placidissime obdormivit, annum XLVIII. vitæ, tribus mensibus, & sex diebus supergressa. Non alia mors uxoribus prudentibus convenit, quas dona sua summum Numen ad se revocat. Cum autem hodierno die, finito cultu publico pomeridiano, exuvia defunctæ terris inferenda sint, quem honorem supremum mortuis habere possumus, Cives nostros hortamur, ut frequenter convenient, & funus post lugentium cœtum succedentes honesto comitatu sequantur. Quod officium nostrum Fœminæ virtutes, Vidui, Professoris & Collegæ nostri æstumatisimi merita, & familiæ totius dignum æstimatum exigunt.

P.P. die XX. Nov. anno Christiano clo locc VII.

F. K. 62
15

Zc
6145

RECTOR UNIVERSITATIS LIPSIENSIS, AD EXUVIAS ILLISSIMÆ FOEMINÆ, DOMINÆ S I N Æ SABETHÆ, TÆ HORNIÆ, D N. DERI MENCKENII, I. JURIS PROF. PUBL. IN CU NCIALI ELECTORALI ET DUCALI T FACULTATE JURIDICA ASSESSO OLLEGIO MIN. P. P. COLLEGIATI, VIRI MERITISSIMI, RIS CHARISSIMÆ, ODIE XX. NOV. c. Icc. VII. HENTE COMITATU SEPELIENDAS CIVES SUOS INVITAT.

